

Franz Wolf

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis, Franciscus Wolfius, Philosophiae Magister & Log. P.P. ad eundem exequias; Quas Viro ... Dn. M. Protasio Beselin, Ad D. Petri aede Pastori ... Vidua moestissima Elisabetha Kistmakers/ ... paratas cupit, Omnium ordinum cives Academicos ... invitat : d. V. Iunii Anno LXXIV.**

Rostochii: Kilius, 1674


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746857411>

Druck Freier  Zugang




Wolf, F.,  
in P. Beselin.

R. 1674.







1674  
38  
PROGRAMMA

<sup>Quo</sup>  
RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS,  
FRANCISCUS  
WOLFIUS,



Philosophiæ Magister & Log. P. P.

Ad eundem exequias;

Quas

VIRO

Reverendo, Amplissimo atq; Clarissimo

DN. M. PROTASIO

Beselii /

Ad D. Petri ædem Pastori quondam  
fidelissimo, meritissimo,

*Vidua mæstissima.*

ELISABETHA Kistmachers /

Virtutum fœminearum compendium,  
hodiè solenniter paratas cupit,

Omnium ordinum cives Academicos  
peramanter invitat.

*d. V. JUNII ANNO LXXIV.*

ROSTOHII, Typis JOHANNIS KILLI, Universitatis Typogr.



Citè Seneca: *Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vita: & tunc quoque cum crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam, usq; ad besternum, quicquid transit temporis, perit. Hunc ipsum quem agimus diem, cum morte dividimus. Ut clesydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quicquid ante defluxit: Sic ultima hora, quæ esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat. Tunc ad illam pervenimus, sed diu venimus. epist. 24.* Radix hujus mali ipsa hominis temperies. Corpus nostrum omnium miseriarum officina. Heic fabricatur natura, quibus seipsam destruat. Semen à nativitate intimis hæret fibris, cæcisque auctum nutrimentis largam ægritudinum subministrat materiem. Hæc gliscendo per membra serpit. Oriuntur intestina humorum dissidia, sequuntur prælia, ni vincat naturæ bonitas, arte in subsidium vocatâ, in præsentissimam microcosmi ruinam desitura. Hinc intumescantium infesta flatuum agmina, interclusis viis, sævissima miscent bella, murmurant viscera, intestina ab imis eruuntur sedibus, & ni tandem porta detur, certam homini mortem intentant. Illinc absconditos intra viscerum recessus, renum & vesicæ abdita, lapicidinas architectantem videas naturam. Monumentum sc. insigne terræ sortis nostræ! Foventur alunturque ibi in duritiem lapidescentes humores, futuri, si moles majora ceperit incrementa, exquisitissimorum cruciatuum architectores. Hunc podagrosus pedibus nodosa contundit chiragra. Fuerit, teste Plinio l. 26. c. 10. *sub, patrumq; memoriâ, podagra morbus rarior, quin & peregrinus, ideoque Latinum nomen non invenerit, quod Italia antiquitus non fuerit: nostro certè ævo familiarior hic molestissimus hospes. loquentur illud ingentia martyrum podagricorum agmina. Videas misellos, eqvuleo distortos diceres, lectulis affixos, inquietari, excarnificari, suspiria ductitare, stentoreisque clamoribus nequicquam auxilia sollicitare. Heic ille Poetarum Tityus, cui, ut canit Virgil. l. 6. Æn.*

rostro-

roftro - immanis vultur adunco

Immortale jecur tundit, foecundaque poenis  
Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto  
pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.

Illum lenta depascitur phthisis, quotidie moritur, tabes lambit  
artus & viscera, membra attenuantur & quasi dedolantur, ita  
exsangvia vix ossibus coherent. Totus homo ariditate crepitar,  
& veluti laterna Syriaca pellucet; nil quicquam juvat quicquid  
edat, marcescit, confenescit, tabescit, ossa atque pellis est mise-  
râ macritudine. Quid multis? umbra hominis est, ambulans  
mortis imago, vivus sceletos. Quid commemorem varias febrim  
vicissitudines, frigoris calorisque alternationibus interpola-  
tas? Nunquam versipellis ille Proteus tot formas fingere &  
refingere potuit, quot febris mentiri solet species. Nunc pro-  
nunc retrograditur, nunc stationaria horas servat. Mox remittit,  
mox interquiescit, mox recrudescit. Jurares, propitiâ hygiea,  
medicamentorum virtute vim morbi debilitatam exspirasse, illi-  
cò malefida, variis symptomatibus comitata, omnem medico-  
rum solertiam, cuncta alexipharmaca delusura, vehementioribus  
flammis reviviscit, lambit, coquit, donec universam in cineres  
redegerit machinam. Et quis tandem sandô adsequetur singula  
malorum morborumque genera, quorum semina velut anguem  
in sinu fovemus? Plinius suâ ætate supra ccc. morborum genera  
homini esse conqueritur. l. 26. c. 1. Galenus vel in uno oculo  
CXII. observavit. Ex quibus summa fieri potest, quot demum  
ex toto corpore propullulare possint. Frustrâ vero his malis pa-  
nacea est investigata. Frustra desudatum in medicinam sanitatis  
perennaturæ effectricem. Subsecuta promissorum mors spem  
omnem simul extinxit. Rex quidam Chinesium (vid. Pont.  
Attic. Bell. l. 2. Synt. 1. Hist. 16.) jamjam poculum immortalita-  
tis erat haustus. Præripit illud purpuratus, & continuo hau-  
stu educit. Protinus Rex irâ inflammatus mucrone jugulum  
haurientis involat. Sed contra ille: *Immortalitatis poculum bibi:*

A 2

aut



*aut ergo non poterit mihi jam vita eripi, aut, si potest, nullum crimen admisi, sic enim non immortalitatem eripui, sed imposturâ te liberavi. Quibus ad saniorē mentē Rex reductus est, Moriendum adeo cunctis. Omni stat exceptione major Lex illa: Huc tamen, huc omnes, huc primus & ultimus ordo. Felix ille, qui constanti fide in Christi meritum hoc miseriarum mare trajecit, qui fidam hanc stationē occupavit; qui tamdiu agitatus est, donec in JESU, tanquàm centro suo requiescere datum. Hunc portum ferenlibus ventis sine naufragii periculo subiit, in suo Jesu conquiescit, cui hodie justa persolvimus, Vir plurim. Reverendus, Amplissim. atq; clarissimus D N. PROTASIUS Beselin / Philosoph: Magister, & Antistes verbi divini ad adem D. Petro sacram, quondam fidelissimus. Luget equidem partem cordis sui avulsam mœstissima vidua, tota in lachrymas videtur resolvi, ita æstuans intra præcordia dolor cuncta in vapores attenuata per oculos ejicit. Desient patrem pignora conjugii lectissima. Flagrant desiderio sui collegæ, Rev. Ministerii caput & membra. Heros cecidit militantis Ecclesiæ. Turba civium in suspiria & lachrymas effunditur. Postquàm amiserunt, quantum boni possederint, intelligunt. Vivere dignus erat ad decrepitam usque ætatem, in quo universus virtutum chorus, quantum humana patiebatur imbecillitas, sedem fixerat. Quid virò illò in fide constantius, in adversitatibus & tentationibus cordatius, in dubiis prudentius? Lacteos, imò aureos labia fundebant sermones; nil eò in commovendo concitatus, in reprehendendo penetrantius, in consolando vivacius. Non aures tantùm personabant, queis flumen eloquentiæ ecclesiasticæ auditores suos humectabat, ad animos penetrabant, accipiebant affectum quemcunque Spiritus Oratoris induerat. Nunquàm accedebant, quin doctiores discederent. Sed Deo aliter visum, diutius his terris superesset debuit. Abiit, fuit, ad plures se penetravit. Vitæ hactenus miseras non semel expertus est. Versando calamitates vanitatem hujus seculi contemptor spernebat animus, alterius anhelabat bona, Nunc comprehendit. Ad quid*

quid ergo lachrymarum imbres, gemituumque lamentabilis fo-  
 ni & Subjicite vobis, *mæstissimi*, quibus piè defunctus miseris, la-  
 boribus, molestiisque sit ereptus: recolite memoriâ, quid fama  
 de Vestro loquatur superstes, repetite quibus nunc beetur & per-  
 fruatur gaudiis. Hæret amplexibus sui Jesu, Videt Deum à fa-  
 cie ad faciem. Quæ heic fide tenuit: illis fruitur bonis. Admissus  
 est in familiaritatem omnium sanctorum, lætatur conversatio-  
 ne Angelorum, & beatorum choris immixtus trifagium illud  
 sanctissimum sine pausa decantat. Macte tuis defuncte bonis.  
 Gratulamur tibi ex animo honores cælestis. Faxit Deus, ut &  
 nos aliquando æternis recepti sedibus, immortalibus illis bee-  
 mur voluptatibus. Sed pro more nonnulla memoriæ piè defun-  
 cti heic attexamus. Natus est noster Rostochii Anno 1633. 22.  
 Novemb. Patre Viro spectatissimo & prudentissimo DN. JO-  
 HANNE Beselin/ Senatore hujus urbis meritissimo: Matre  
 Dorotheâ Marstallers/ Ampliff. & consultiff. viri Dn. Protasii  
 Marstallers/ Icti celeberrimi, & Illustriff. ac celsiff. PPum.  
 DN. ULRICI, CAROLI & JOHANNIS ALBERTI p. p. p. recor-  
 dationis, Ducû Megapol. &c. Consiliarii gravissimi filiâ, fœminâ  
 honestissimâ. Avus fuit vir doctissimus & integerrimus Jacobus  
 Beselin/ Civis hujus urbis Primarius, Sedecemvir & Præfectus  
 ad ædē D. Nicolai meritissimus. Avia paterna, fœminalectissima  
 Margareta Havemannß / Valentini Havemannß/ Civis & Merca-  
 toris heic probissimi, & Catharinæ Kolsowen filiâ. Proavus Pater-  
 nus Vir prudentiff. & spectatiff. Dn. JOHANNES Beselin/ Sena-  
 torii ordinis hujus urbis non postremus. Proavia paterna Marga-  
 reta, Dn. Jacobi Steins/ Senatoris hujus urbis graviff, filia. A lau-  
 dato supra Dn. Protasio Marstaller/ Avo, & fœminâ laudatissimâ  
 Anna Schügen/ Dn. Nicolai Schügen/ Senatoris Gustrovici &  
 Annæ Stenßlawen filiâ, avia; Proavo viro experientissimo &  
 Clariff. Dn. Gervasio Marstaller / Med. D. & P. P. Jenens. post  
 Principū Luneburg. in aulâ Cellensi Archiatro; Proaviâ, fœminâ  
 honestissima, Dorothea Dreyers/ maternum genus duxit. His

majoribus piè defunctus & vitam debet, & indolem virtutum igniculis egregiè dotatam, quam post elegantissimè excoluit, illam ratus veram nobilitatem, quæ homines facit filios Dei, & hæredes regni cœlestis. Parentes ante omnia hunc filium suum baptismo iniciandum & Christo inserendum curarunt. Altera cura erat recta educatio; cumque optimum patrimonium esse judicarent, animum bonis literis solidè tinctum, domi eum in verâ pietate educatum post in schola patriâ tunc temporis meritissimo Rectori Dn. M. Michaeli Cobabo, artificii formandæ juventutis dexterrimo, nunc SS. Theol. D. & P. P. celeberrimo, Collegæ & fautori nostro honoratissimo, erudiendum tradiderunt. Hic ubi rerum suarum satagisset, abiit A. 1651. comite fratre Dn. Johanne Christiano Beselin / Adsessore nunc judicii, quod Parchimi est, gravissimo, ad Academiâ Regiomontanam, ibidemque per sesquiannum, quò potuit fervore, studiis se totum consecravit. Ubi cum pestilitatis grassantis contagio conatus sufflaminaret A. 1653. à Domino Parente domum evocatur. Paret, appellit. Sed mox Parens 17. Novemb. ejusdem anni moritur. Noster in eo erat, ut exterâs visitaret Academias. In solatium tamen Matris viduæ per aliquot annos Rostochii manet, & qua potest industria, literis invigilat. Collegiis, cū publicis, tum privatis interest. Præcipuè verò in Theologicis & Hebraicis usus fideli informatione Viri pl. Rev. Ampl. & Excell. Dn. Augusti Varenii, SS. Theol. D. & P. P. Collegæ nostri honoratissimi: in Philosophicis amplexus est Virum pl. Rev. Ampl. & excellentiss. Dn. Bernhardum Gosman, SS. Theol. D. & tunc temporis Metaph. & Phys. Professore pub. Celeberr. nunc apud Stralsundenses Superintendentem gravissimum. Anno 1657. 31. Januar. Præside Viro pl. Rev. Ampl. & Excell. Dn. Michaeli Cobabo, SS. Theol. D. & P. P. Collega nostro honoratissimo, de modo, quo per unū hominem peccatum in mundum introierit, magno applausu publicè disputat. Inde movet Wittebergam, hinc Lipsiam, tandemque JENAM; passimque in familiaritatem Dnn. Professorum ad-

admissus, quæ studiis velificari poterant memori mente reposuit. A. 1658. 21. Jan. JENÆ Candidatus Philosophiæ examina publica subiit, 9. Februarii in jubilæo, Brabevtâ Johanne Zeifoldo Phys. PP. celeberrimo, summos in Philosophia honores consecutus est. Post domum reversus ab Ampliff. & Prudentiff. hujus urbis Senatu Candidatis ministerii adnumeratus, Anno 1663. 12. Jan. concordibus suffragiis minister verbi ad ædem S. Petri electus, 23. Jan. à Rev. ministerio examinatus, 4. Martii à Viro pl. Reverend. Clariff. Dn. M. Steinio, initiatus, & 9. Martii solenniter introductus est. Anno 1667. Wismarienses, moti sine dubio blandiloquis inusitatæ Ecclesiasticæ eloquentiæ administrantibus donis, avocare eum voluerunt ad Pastoratum, & Rev. Ministerii sui confessum; sed honores ultro sibi oblatos, impellente animum incredibili illo quo in oves sibi concreditas ferebatur amore, noluit admittere. A. 1668. 27. Julii consentientibus votis Pastor ad S. Petri eligitur, & 7. Septembr. ejusdem anni à viro pl. Rev. Amplissimo & Excellentissimo Dn. Johanne Quistorpio, SS. Theol. D. & P. P. introductus est. Interea Anno 1663. 6. Oct. Gustrovii cum virgine lectissimâ, nunc viduâ mœlissimâ, Elisabetha Ristmachers/ Viri Nobil. Ampliff. & Consultiff. Dn. Joachimi Ristmachers/ U. J. D. Syndici & Consulis Gustrovici gravissimi, filiâ, sponsalia celebraverat, quæ deinceps benedictio Sacerdotalis Rostochii 25. Novemb. ejusdem anni felicissimè consummavit. Nec caruit prole læta conjugium. Quinque liberos, tres filios, duasque filias ex laudata uxore suscepit. Primus erat Johannes Joachimus, natus A. 64. 2. Octobr. alter, Protasius Fridericus, natus Anno 1666. 17. Julii, d. denatus ejusdem anni 20. Octobr. Tertia erat Dorothea Catharina, nata A. 67. 11. Oct. Quartus, Protasius, natus Anno 1670. 29. April. Quinta denique Margareta Elisabetha, nata Anno 73. 27. Decemb. Quorum omnium Parentē uti se Deus t. o. m. fore promisit, ita reapse parentis cura defungetur. Variis, dum viveret, morborum insultibus infestabatur, qui tamen suo tempore remiserunt. Ante verò 3. hebdomadas & quod excurrit, ægro quâvis corpore, consilio  
tamen


ramē Medici, Gustavoviū profectus, amore extimulatus, iusta facturus Dn Socero, Viro Nob. & Ampliff. Dn. Joachimo Ristmacher/ Consuli civitatis illius longe meritissimo. &c. Et initio quidem prosperior sanitatis facies adblandiri videbatur, quæ tamen subitâ metamorphosi tristitia quæq; reverso minitabatur. Lubet ipsius Excell. & experientissimi Dni. Medici, Johannis Bacmeisteri, Med. D. & P. P. amici & collegæ nostri honoratissimi, verbis fucatm hujus morbi larvam exprimere. Ita vero ille: *Morbus Viri pl.*, Rev & Clarissimi, amici nostri olim conjunctissimi, nunc cheu! desideratissimi, fuit Febris primûm levicula tertiana intermittens, quæ vomitum ac diarrhæam, non aded exquisitam habebat comites. Hæc postmodum non obstante continuo medicamentorum appropriatorum usu, in continuam malignitate non carentem degenerabat, viresque corporis cæteroquin minùs validas penitus prosternebat. Et quamvis natura optima aliàs morborum medicatrix per sudorem adjuta generosissimis alexipharmacis, & sudoriferis, malignitatem materiæ morbificæ corrigere, ac evacuare pertentaverit, nihilque intermissum eorum, quæ vel tollendæ feбри, vel mitigandis symptomatibus, viribusque refocillandis erant necessaria: nihil tamen levaminis inde percepit æger, sed fatiscens quasi sub onere tandem succubuit, placideque *in Domino obdormivit*. Interea vi morbi ultima quæque intentante, Circumstantiibus defœcato animo professus est: se esse omnino paratum in utramque partem, quod Deo complacuerit, & sibi omnibus modis complacere. Inde coepit se præparare (licet breviantè usqs fuerit s. evcharistiâ) ad denuo percipiendum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, ardentissimis ad Deum suis suspiriis, vellet se dignum facere vas hujus thesauri, & viatici coelestis. Sed morbi vehementia præter omnium spem & expectationem conatus hosce anticipavit, & præsentè confessionario collegæque, viro multum Rev. & Clarissimo Domino M. Harberdingio, inter suspiria, preces, & cordolia suorum, præterito die, ut vocant, veneris, circa octavam matutinam placidam viro Dei quietem ac celeravit, Anno ætatis suæ 40, cum V. mensibus, demptis 3. diebus. Nostrum ergo erit, Cives Academici omnium ordinum honoratissimi, ultimum vale piè defuncti ossibus dicere. Vestrum erit in solatium lugentium exequiis indictis vestra honorifica præsentia decus quoddam & monumentum affectus vestri in piè defunctum addere. Hoc igitur ut faciatis, ut frequentes compareatis, non tantum ego, quo fas est animò, invito, sed ipsa humanitas, me interprete, ad vos verba hanc in rem facit. Valete.


*Dabam sub Sigillo Rectoratus V. Junii*

*Anno 1674.*


Conventus erit hora 1, in templo Petrino.












admissus, quæ studiis velificari poterant memo  
A. 1658. 21. Jan. JENÆ Candidatus Philosoph  
ca subiit, 9. Februarii in jubilæo, Brabevtâ  
Phys. PP. celeberrimo, summos in Philosophi  
cutus est. Post domum reversus ab Ampliff. &  
urbis Senatu Candidatis ministerii adnumerat  
Jan. concordibus suffragiis minister verbi ad  
ctus, 23. Jan. à Rev. ministerio examinatus, 4  
Reverend. Clariff. Dn. M. Steinio, initiatus, &  
ter introductus est. Anno 1667. Wismarientes  
blandiloquis inusitatæ Ecclesiasticæ eloquen  
bus donis, avocare eum voluerunt ad Pastora  
sterii sui confesum; sed honores ultro sibi ob  
animum incredibili illo quo in oves sibi conct  
more, noluit admittere. A 1668. 27. Julii con  
Pastor ad S. Petri eligitur, & 7. Septembr. ej  
pl. Rev. Amplissimo & Excellentissimo Dn. Joh  
SS. Theol. D. & P. P. introductus est. Interea  
Gustrovii cum virgine lectissimâ, nunc viduâ  
betha Ristmachers/ Viri Nobil. Ampliff. & Co  
chimi Ristmachers/ U. J. D. Syndici & Consul  
vissimi, filiâ, sponsalia celebraverat, quæ deince  
cerdotalis Rostochii 25. Novemb. ejusdem ant  
summavit. Nec caruit prole læta conjugium.  
tres filios, duasque filias ex laudata uxore susce  
Johannes Joachimus, natus A. 64. 2. Octobr  
Fridericus, natus Anno 1666. 17. Julii, d. dena  
20. Octobr. Tertia erat Dorothea Catharina, n  
Quartus, Protasius, natus Anno 1670. 29. Ap  
que Margareta Elisabettha, nata Anno 73. 27. D  
omnium Parentē uti se Deus t. o. m. fore pron  
rentis cura defungetur. Variis, dum viveret, n  
bus infestabatur, qui tamen suo tempore remis  
3. hebdomadas & quod excurrit, ægro quâvis



posuit.  
publi  
ifoldo  
confe  
hujus  
63. 12.  
ri ele  
iropi.  
lenni  
dubio  
tranti  
Mini  
llente  
atur a  
votis  
â viro  
orpio,  
s. Oct.  
Elisa  
, Joa  
i gra  
io Sa  
con  
peros,  
s erat  
tasius  
anni  
Oct.  
deni  
orum  
se pa  
sulti  
verò  
nfilio  
amen